

brisq; Messiaë, tum ceremonijs augustis
 quas illa gens strictè juxtaque literam
 observare tenebatur. In quibus ritibus
 & imaginibus Judæorum fideles Messiaë
 quasi eminus conspicientes, fide in
 ipsum ex pacto promissioneque divina
 sunt salvati. Quem vero Deus in Novo
 Testamento exigit, non consistit ille
 in externis figuris, ceremonijs, ritibus,
 statutis & legibus; sed totus internus &
 in spiritum ac veritatem contractus,
 fide in Christum continetur, quia per
 ipsum templum, altare, sacrificium,
 arca & sacerdotium, cum universa mo-
 rali & ceremoniali lege sunt impleta.
 Unde consequenter in libertatē Chri-
 stianam asserti sumus, liberati à male-
 dicto legis Gal. 3. & Judaicis ceremoni-
 js Gal. 5. sic ut libero corde, ac spiritu
 sancto habitante in nobis, Deo servia-
 mus Jerem. 31. Rom. 8. nostraq; fides &
 conscientia nullis hominum traditio-
 nibus sit alligata. Porro veri, spiritua-
 lis, interni & Christiani cultus tria præ-
 cipua sunt requisita. Puta vera cog-
 nitio Dei; tum peccati ac pœnitentiæ; de-
 inde gratiæ & remissionis peccatorum.
 Atque hæc tria unum sunt, non aliter
 atq; ipse Deus unus est in Trinitate. Nā
 in

*Verus
 Dei cul-
 tus in
 tribus
 consistit.*